



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

1. De Origine dissensionum domini Coloniensis et capituli, de adventu domini Wilhelmi, de suo regimine et actis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Quoniam secundum Salustium in suo libro gestorum 1. Romanorum in principio scribitur, quod vita nostra brevis est, et quod memoriam nostram longam affectamus, iuvabit enim¹⁾ multum rerum gestarum memoria secundum Titum Livium in initio libri sui. Preterea hic incipiendo dico cum eodem Tito Livio, ubi incipit librum suum septimum gestorum Romanorum: „Hic incipit annus nove inceptiois,“ qui enarrare intendit materias dissencionum, aliquamdiu inter reverendissimum in Christo patrem et dominum, dominum Theodericum, archiepiscopum ecclesie Coloniensis, filium Ffrederici, nobilis comitis de Morsse, necnon venerabiles viros, dominos, prepositum, decanum et capitulum ecclesie Paderbornensis et eorum subditos subortas. Attento igitur dicto pretacti Salustii circa sui libri inicium inquentis: „Quoniam, que sunt memorie digna, debeant carptim scribi, et non digna derelinqui,“ posteris in experimentum ac eorum memoriis commendavi, ut actitatis in enarrandis oblivioni traditis hiis inspectis deperditorum faciliter possint reminisci. Preterea ego Theodericus de Engelsheym, canonicus et scolasticus ecclesie Paderbornensis, in subsequentibus intendo, colligere principaliora²⁾ dissencionum materias, actitatas inter dominos meos, archiepiscopum et capitulum prenotatos, prout vidi, inter-

¹⁾ in der Bedeutung „fürwahr, sicherlich.“

²⁾ Schreibfehler statt principaliores.

fui et personaliter coadiuvando practicavi, a causa ori-
nali dictarum dissencionum incipiendo.

Olim reverendo principe Roberto, episcopo Pader-
1394 bornensi, sub annis dominice incarnationis millesimo
tricentesimo nonagesimo quarto vita functo et multum
dolorose lamentato propter utile bonum, et regimine
suis temporibus perpetrato et everso, nobilis dominus
Johannes de Hoya erat pro episcopo ecclesie eiusdem
Paderbornensis postulatus, qui, notabiliter et bene regi-
mine assumpto, rexerat, captivando nobilem Henricum
de Waldeck, comitem, Ffrederikum, militem, Johannem
et Goschalkum, fratres potentes, armieros de Patberg cum
suis complicitibus. Sic eius regimine parum durante, obiit
reverendus Gerhardus, nobilis de Scalkesberge, tunc
episcopus Hildensemensis; quo defuncto idem dominus
Johannes per capitulum ecclesie Hildensemensis erat
ad eandem ecclesiam pro episcopo postulatus. Eo as-
sumpto, et ecclesia Paderbornensi derelicto¹⁾, illustris
princeps Wilhelmus, filius ducis Wilhelmi Julie Mon-
tensis et comitis Ravensbergensis statim ad eandem
ecclesiam per prepositum, decanum et capitulum dicte
ecclesie Paderbornensis postulatione petebatur sub annis
1399 dominice incarnationis M^oCCCXCIX. Qui cum in suam
vocacionem consenserat et castra certa in possessionem
ad se acceptaverat, supervenit egregius vir, dominus
Bertrandus de Arrissano, decretorum doctor, cum literis
Sanctissimi domini, Bonifacii, pape IX. provisionis, qui-
bus sibi dictus dominus papa de dicta ecclesia ut epis-
cupo providebat, dominos de capitulo cum processibus
suis desuper fulminatis, ut ipsum pro episcopo admitte-
rent, instantius requirens. Qui capitulari tractatu pre-
habito in dei nomine ipsum admiserunt. Ob cuius cau-

¹⁾ Schreibfehler statt derelicta.

sam dissensio satis gravis inter dictum illustrem Wilhelmum, dominum Bertrandum et capitulum exsurexit; qua durante captivus idem dominus Bertrandus ad castrum Nienhuss ducebatur et tenebatur nomine dicti domini Wilhelmi, donec omni iure resignaverat sibi ad eandem ecclesiam, ut prefertur, acquisito; et liberatus Ytaliam, de qua venit, reintravit, domino Wilhelmo pacifice in possessione ecclesie et castrorum et bonorum derelicto. Qui sic annis multis regimine ologartico¹⁾ patriam rexit et defendit ab instantibus exadversis cum gloria, magna potencia et expensis, prout decuit principanti. (sic!) Tandem sub anno domini millesimo CCCC secundo volens cum magna comitia fratrem proprium et carnalem, illustrem Adolffum accedere, et ab instantibus periculis auxilium prestando adiuvare, in villa Balve quievit pernoctando, ubi per Henricum de Ore erat cum multis notabilibus captivatus et suo proprio castro Ravensberge mancipatus. Hoc noscit ille, qui nil ignorat, qualiter a dicta captivitate fuerat liberatus. Liber exiens statim post hoc sub anno domini M^oCCCCVI ipso die Cecilie virginis captivavit nobiles comites tres, patrem et duos filios de Spegelberg cum suis satellitis (sic!) et bona comitia ad valorem bene decem milium florenorum utilitatem importancia. Demum sub annis domini M^oCCCCIX reverendus pater, dominus Ffredericus, natus de Sarworden, archiepiscopus Coloniensis, et illustris Adolffus, dux Clevensis, causa devastacionis villam Delbruge manu armata bene cum mille quingentis armigeris intrarunt. Domino Wilhelmo cum suis occurente, et eis in fugam conversis, tot armigeros, nobiles, tyrones et plebeos captivavit, quod bono computo pro eorum liberatione libentissime centum

¹⁾ Aus dem Griechischen entlehnt, corrumpt aus „ὄλοκρατικός“ oder „ὄλοκρατικός“ = „ganz kräftig.“

et quingenta milia florenorum tradidissent. Ubi tunc quamplures Sosatienses erant captivati, qui non curarunt promissa, castrum Nienbus non poterant invenire.¹⁾ Sicque de istis, nec de toto lucro aliquis profectus²⁾, sicut debuisset et sperabatur, non evenit, sed magis versum fuerat ecclesie Paderbornensi hoc lucrum in detrimentum, prout dolenter refero.

1408 Sub anno etiam dominice incarnationis MCCCCVIII instante intenso (sic!) hyeme et frigore castrum Lipperode obsedebat, gwerras cum nobilibus dominis, Symone et Bernhardo de Lippia indicendo, in quibus castrum Lage devastavit, ffrumenta et blada ante opidum Lemego demollivit, cum potentia opidum Horne bene cum tribus milibus hominum circumcinxit, castra ponendo, multa magnalia dampna ipsis inferendo, sic quod illo tempore domini, Coloniensis predictus, Johannes de Nassowe, archiepiscopus tunc Moguntinus, Otto de Hoya, vir multum austerus, episcopus Monasteriensis, illustris Hermannus, lantgravius Hassie, et alii principes, vicini sui circumquaque, eius potentiam, magnificentiam, industriam et opera formidarunt, prout revera merito erant formidanda. Hec scribo, hec dico et refero, quia vera sunt; illa et multa alia similia et maiora secum, cum eius cancellarius fui, vidi et practica didici, illis interfui et pro possibilitate in omnibus premissis quam prosperis quam adversis operam dedi.

2. In tempore illo, cum dicti domini Wilhelmi ecclesie Paderbornensis regimen inciebatur, tunc tempore Augusti in parte occidentali versus septentrionem, ubi ventus

¹⁾ Die auf Ehrenwort entlassenen Soester stellten sich als Gefangene in Neuhaus nicht wieder ein.

²⁾ profectus = der Nutzen.